

Programm

des

Königl. Marienstifts-Gymnasiums

zu

Stettin

für das Schuljahr von Ostern 1902 bis Ostern 1903.

Inhalt:

In Sapphus carmen II quaestiones criticae. Vom Oberlehrer OTTO WÖHLERMANN.



STETTIN.
Druck von Herrcke & Lebeling.
1903.

1903. Progr.-No. 170.

In Sapphus carmen II quaestiones criticae.

Vom Oberlehrer Otto Wöhlermann.

Prohoemiandi occasione oblata pauca explicare in animo est quae ad Sapphus carmen II pertinent.

Quod quamquam non pauci fuerunt viri docti, qui coniecturali imprimis emendatione sollerter et ingeniose tractaverunt, tamen etiam post proximam carminis recensionem ab Otto Hoffmanno factam quae inest in egregio de dialectis Graecis libro (vol. II) remanserunt mea quidem sententia nonnullae difficultates quae ad rem retractandam incitent.

Etenim v. 5 pro scriptura *τό μοι μὰν* [*καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόησεν* (vulg. *ἐπτόασεν*)] ab Hartungio olim proposita Hoffmannus Ahrensium secutus *τὸ δὴ ἔμαν*[1]) scripsit, quod utrumque improbandum censeo. Neque enim habeo quod apographorum lectioni *μοι ἐμὰν* diffidam, dummodo in versu per aphaeresin *μοι ʼμὰν* scribatur. Quamquam Godofredus Hermannus olim de hac lectione sic iudicavit: „*es ist ein unerträglicher Pleonasmus, den man der Sappho nicht zutrauen darf; es ist in dieser Hinsicht ein Unterschied zwischen einem Epiker und einem Lyriker*“, tamen Hermanni pleonasmus ille intolerabilis quem vocat mihi quidem aptissimus videtur esse. Poetria, cum condicionem suam contrariam esse prope sedentis (*κῆνος, ὄττις . . . ἰζάνει*) sentiat, bene facit quod suas res graviter edicit. Quod ita efficit, ut duplici pronomine altero alterum excipiente se ipsam designet. Itaque non intolerabilis mihi videtur pleonasmus duplex pronomen, immo dictio gravissima et carminis naturae maxime conveniens. Poetas ita duplex pronomen usurpare non modo non veritos esse, sed etiam studuisse ex his quae afferam exemplis apparebit.

Legimus scriptum ap. Soph. Ant. 1310 Herm. Erf.:

φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ᾽ ἐμῶν
ἐμοὶ τερμίαν ἄγων ἁμέραν
ὕπατος.

Duplex pronomen non Nestoreae loquacitatis est indicium, sed Creontis de se miserrimo quid sentiat gravissima explicatio.

Soph. O. R. 324 *ὁρῶ γὰρ οὔτε σοὶ τὸ σὸν φώνημ᾽ ἰὸν*
πρὸς καιρὸν

ubi magni momenti est duplex pronomen, cum Oedipi *κήρυγμα* indicet.

---

[1]) In signis prosodiacis scribendis ne error exsistat morem recentiorum sequor nos quidem Aeolum rationis prosodiacae peritiores non esse quam grammaticos Alexandrinos haud immemor, cf. Wilamowitz, Die Textgeschichte der griech. Lyriker S. 51.

Luculentissime sententiae meae favet locus ille Sophocleus El. 115, ubi Electra deorum vindicum auxilium implorans

ἔλθετ', inquit, ἀρήξατε, τ(ε)ίσασθε πατρὸς
φόνον ἡμετέρου, καί μοι τὸν ἐμὸν
πέμψατ' ἀδελφόν e. q. s.

Quanta inest in duplici pronomine gravitas!

Eur. Hippol. 48 triplex adeo in eadem sententia invenimus pronomen:

τὸ γὰρ τῆςδ' οὐ προτιμήσω κακὸν
τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ
δίκην τοσαύτην ὥςτ' ἐμοὶ καλῶς ἔχειν.

Eur. Med. 1017 paedagogus Medeam his verbis consolatur:

οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων.

Ne Romanis quidem poetis lyricis hic usus insolitus est:

Catull. 10, 25 Haupt:

„quaeso", inquit, „mihi, mi Catulle, paullum istos".

Idem 68, 158 quadruplici pronomine utitur:

et longe ante omnes mihi quae me carior ipsost,
lux mea, qua viva vivere dulce mihist.

Tibull. I 1, 5:

me mea paupertas vita traducat inerti.

Propert. I 13, 28:

te tuus ardor aget.

idem III 10, 10:

nunc aliam citharam me mea musa docet.

III 14, 27:

has pono ante tuas tibi, diva, Propertius aedes exuvias.

Sed plura afferre supersedeo: res satis est aperta. Poetas ne lyricos quidem aut Graecos aut Romanos vitasse usum de quo agimus apparet; immo pronominis eiusdem personae bis terve quaterve positi magna est vis. Itaque ne in Sapphico quidem versu

τό μοι 'μὰν καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόησεν

est quod quisquam offendatur. Eandem aphaeresin invenimus in titulo Balbillae ap. Hoffm. 174, 5 et 177, 1 'πυ λίθω pro ἀπὺ. 175, 12 'νήλᾱσε (sic!) pro ἐνήλᾱσε, 175, 19 'λοχον = att. ἔλαχον. Ap. Sa. 2, 15 'πιδεύην, fr. 88 'ραννα.

Versum 5 supra exscripsi τό μοι 'μὰν ... ἐπτόησεν pro volgari scriptura ἐπτόᾱσεν. Verborum contractorum stirpes in flectendis formis apud Lesbios fluctuare docent Ahrens dial. I 85, Meister dial. I 180. Stirpium in ε̄ flexionem stirpium in ᾱ sequentium Meister haec praebet exempla:

ἐπτόᾱσεν Sa. 2, 6. „ion.-att. πτοάω und πτοέω".
ἐκπεποτᾱμένα Sa. 68, 4.
ἐξεπόνᾱσεν Sa. 98, 3 et ap. Theocr. att. πονέω.
ἐλεάω ap. gramm., quibus adiungit nomen νόᾱμα (ap. gramm.)

Haec exempla diligentius perpendamus.

Formae νόᾱμα testis est Ioannes Gr. ap. Aldum p. 244. Hoffmann II 216: (Οἱ Αἰολεῖς) ἀντὶ τοῦ Η τὸ Ε ἢ τὸ Α κοινῶς τοῖς Δωριεῦσι . . . (λέγουσι) . . . τὸ δὲ Α: Ἑκάβην Ἑκάβαν, . . .

νόημα νόᾱμα . . ., unde verbum aeol. *νόαν* (att. *νοῦν*) collegerit quispiam. Cui testimonio haec adversantur: Methodii in Et. M. 56, 50: *Αἰολικῶς ἀλύκτημαι· ἐκεῖνοι γὰρ οὕτω ποίημαι καὶ νόημαι λέγουσι* (hoc est med. praes. verbi aeol. *νόημι*, ion.-att. *νοέω*). Eustathii 1756, 10: *Αἰολεῖς τὸ νοῶν νοοίην φρονῶν φρονοίην καὶ τὰ ὅμοια τὰ παρ' ἡμῖν φιλείην λέγουσι καὶ νοείην, ἐπειδὴ καὶ τὰς μετοχὰς . . . εἰς εις προφέρουσι . . . φίλεις καὶ νόεις λέγοντες ἀντὶ τοῦ φιλῶν καὶ νοῶν.*

In codicibus est

Sa. 14 *νόημα* (cod. Apoll. de pron. p. 384 C).

Sa. 36 *νοήματα* (Chrysipp. *π. ἀποφατ.* c. 23).

Alc. 77 *νόημα* (cod. Apoll. de pron. 384 B).

Alc. 89 *νόημα* (Schol. *φ* 71).

cf. in titul. Mytil. ap. Hoffm. 83, 30 *ὁμον]όεντες* ex coniectura suppletum.

In his quos composui locis ne una quidem est varia scriptura. Ergo non dubitabimus omisso Ioannis testimonio illud *νόᾱμα* fictum existimare.

Formae *ἐλεάω* solum habemus testimonium in anecd. Oxon. IV 420, 5: *κατὰ Αἰολεῖς καὶ Ἴωνας ἐλεῶ ἐλεᾷς* (cod. *ἐλεᾶς*) *ἐστιν ὥσπερ βοῶ βοᾷς* (cod. *βοᾶς*). Hoc testimonium ambiguum esse apparet, nempe quod de Ionibus dicit falsum est, quod de Aeolibus, haud scio an verius non sit. Fortasse exemplum *ἐλεῶ ἐλεᾷς* iis adiungendum est quibus utebatur *ἡ κοινὴ διάλεκτος* quae vocatur, e. gr. *ζητῶ ζητᾷς*, cf. Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus p. 15.

Sa. 68, 4 in editionibus est *ἐκπεποτᾱμένα*. Huic uni exemplo verbi *ποτάομαι* a Lesbiis usurpati obstant eiusdem Sapphus fr. 41 *πότῃ*, Alc. 43 *ποτέονται*, quibuscum congruit Theocr. 29, 30 *ποτήμενα*. Paradosis Homerica praebet formas verbi *ποτέομαι ω* 7 *ποτέονται*, semel compositum *ἐκποτέονται Τ* 357. Contra formae verbi *ποτάομαι* leguntur *Β* 462 *ποτῶνται*, *Β* 315 *ἀμφεποτᾶτο*. Nihil impedit quominus his locis *ποτεῦνται* i. e. *ποτέονται, ἀμφεποτεῖτο* legamus. Neque certius verbi *ποτάομαι* testimonium est forma Homerica *λ* 222 *πεποτήαται* (— *ατο*), cum non modo a *ποτάομαι*, sed etiam a *ποτέομαι* descendere possit. Unum repugnat *ἅπαξ λεγόμενον Μ* 287 *πωτῶντο*, cui rei non maiorem vim tribuerim quam Sapphico illi *ἐκπεποτᾱμένα*, quod supra commemoravi.

Venimus ad formam *ἐξεπόνᾱσε* semel Sa. 98, 3 occurrentem. Nullum aliud verbi *πονάω* est vestigium aut in titulis aut apud grammaticos. Atqui in codicibus editionibusque Theocriteis scripta legimus 15, 80 *ἐπόνᾱσεν*, 7, 51 *ἐξεπόνᾱσα*, 7, 85 *ἐξεπόνᾱσας*, 13, 14 *πεπονᾱμένος*. Similis forma est *δίνᾱσε* 24, 10. Aliquotiens etiam in Pindari carminum codicibus conspiciuntur e. gr.: *πονᾱθῇ* Ol. 6, 11. *ἐδινᾱθην* Pyth. 11, 38. all. Hic illic ne Euripidis quidem partibus choricis desunt: Iph. Aul. 209 legitur *ἐξεπόνᾱσε* nostrum. Quid istae formae sibi volunt? Quae neque apud Euripidem sunt dorismi neque apud Pindarum vel Theocritum aeolismi aut dorismi, quandoquidem nihil sunt nisi monstra grammatica. Quare in verbis poetarum constituendis nonnulli suo iure eas damnaverunt. Secundum leges grammaticas explicari utique nequeunt, quia e. gr. *ἐπόνᾱσα* a stirpe *πονε* conformatum ab omni ratione grammatica abhorret. Neque ulli testimonio est illud *ἀπόναϝε* I. A. 61 a, quod Roehlius a verbo *πονάω* deduxit, de quo v. G. Meyer.[3] 554. Quas formas nisi quis a poetis summa cum licentia excogitatas esse contenderit, non poterit respuendas esse negare. Eundem Ahrensium qui Dor. II 149 de *ἐφίλᾱσα* sic iudicat: „nec Doricum nec Pindaricum existimari posse videtur", reliquis formis favisse non desisto mirari. Natae sunt huius generis formae opinione grammaticorum posterioris aetatis, qui errore obstricti eas saepenumero pro Aeolicis seu Doricis venditant. Cum profecto in dialectis Dorica et Aeolica multo maiorem numerum

ᾱ vocalium quam in Ionica seu Attica invenissent, huius vocalis fines nimis amplificaverunt. Inde originem traxerunt ἄβας (satis incertum) Alc. 101, idem Theocr. 30, 20. (dor. ἥβα, ion.-att. ἥβη, εἰβάτα in titulo Pharsalico Cau.[2] 395). (ap. Fritzsche-Hillerum[3] iam correctum), ἐφᾱβων bis in tit. Cumano Cau.[2] 437 intra annos 2 et 14 p. Chr. n. exarato, ἐφᾱβαρχος S G D I 295, 2 eiusdem aetatis Romanae. Haud scio an de forma ἀξιᾱσει pro ἀξιώσει idem statuendum sit, quae in titulo Eurythraeo Cau.[2] 432 (ex ΑΞΙ\ΣΕΙ suppleta) et in marmore Lampsaci reperto Cau.[2] 434 occurrit.

Restat a quo initium disputandi fecimus ἐπτόᾱσε nostrum. Volgari in usu est apud Iones et Atticos verbum πτοέω vel πτοιέω e radice πετ ortum (G. Meyer[3] § 264). Πτοιοῦμαι est in codicibus Mimnerm. 5(3)2, Bergk[3] (= Theogn. 1018) omnibus, in solo cod. A πτοιῶμαι, quod Bergkio placuit. Similis forma legitur in [Eur.] Iph. Aul. 587 ἐπτοάθης. Quas formas cave accipias pro testimoniis verbi πτοάω. Contra e stirpe πτο(ι)ε orta sunt nomina πτο(ί)ησις et πτο(ι)ητός. Quae cum ita sint formas νόᾱμα ἐλεάω ἐξεπόνᾱσε ἐπτόᾱσε Aeolibus abiudicandas atque in loco Sapphus de quo agimus ἐπτόησε scribendum esse censeo.

Denique sitne ὐπαδεδρόμᾱκεν forma genuina est inquirendum. Praepositionem ὐπά pro ὐπό Aeolicam esse grammatici confirmant, in his Herodianus II 195, 7: οἱ . . Αἰολεῖς τὴν ὑπὲρ ἰπὲρ λέγουσι καὶ τὴν ὑπὸ ὑπά. (Meister I 40, Anm.) Quibus cum fidem haberet Ahrensius, in fragmentis Sapphus et Alcaei hanc formam ubique revocavit. Tradita est duobus locis: praeter nostrum etiam Sa. 1, 9 ἀρμύ· πασδεύξαισα (= ἄρμ' ὐπαζεύξαισα) in codicibus Dionysii Hal. ab A Piccolomini collatis; reliquis Sapphus et Alcaei locis et in titulis Aeolicis forma volgaris ὐπό occurrit. Neque tamen dubitari potest quin grammatici formam ὐπά quam vocant Aeolicam e carminibus Lesbiacis sumpserint. Neque tituli solam formam ὐπό praebentes huic opinioni adversantur, cum aetatis multo posterioris sint, nam antiquissimum exemplum ὐπόδικον est in tit. Mytilenaeo Cau.[2] 427, 5 med. saec. IV.

In altera vocabuli parte viri docti ad unum omnes quantum scio agnoverunt formam ὐπαδεδρόμᾱκεν, excepto uno eoque maximo. Wilamowitz Herm. XIV 169 ff. ut ἐφίλᾱσα γεγενᾱμένον simm. ita ὐπαδεδρόμᾱκεν omnino damnandum esse iudicavit. De prioribus formis quamquam non possum viro clarissimo non assentiri, tamen de ὐπαδεδρόμᾱκεν idem me iudicare non posse doleo his rebus adductum. Etenim in Hesiodi frgm. 143 Rzach occurrit forma δρομάασκε:

ἀλλ' ἐπὶ πυραμίνων ἀθέρων δρομάασκε πόδεσσι,

sed schol. Venet. *B* ad *Y* 227 praebet variam lectionem: φοίτασκε. Forma δρομάασκε a Rzachio recepta indicat praesens δρομάω ut γοάασκε γοϝάω (G. Curt. Verb. II, 381 b). Atqui Lobeckius in Phryn. p. 580 ff. forma δρομάασκε reiecta loco nostro Hesiodeo aut δρώμασκε aut secundum schol. Hom. φοίτασκε scribendum esse censuit. Respicit enim Lobeckius Porsoni adnotationem ad Eur. Med. 664 adscriptam: „Pro ἐπιστροφᾷ analogia postulat ἐπιστρωφᾷ. A νέμω enim νωμᾷν, a στρέφω στρωφᾷν, a τρέπω τρωπᾷν formant Graeci." Sed reperiuntur aliquot verba in —άω desinentia quarum formae aut solum ita conformatae sunt velut προςδοκάω λοχάω ἐμπολάω aut iuxta flexionem in —έω velut ἀπορροφάω iuxta —έω, ἐμφοράω iuxta —έω. Utrumque genus flexionis a grammaticis et librariis multifariam confusum esse nil mirum, nam formae futuri in —ησω, aoristi in —ησα simm. a verbis et in —άω et in —έω descendere possunt. Omnino autem Guil. Schulzio assentior, qui vir γραμματικώτατος in quaestionibus epicis singulari quadam doctrina atque sagacitate conscriptis p. 400 formas στρωφάω τρωχάω τρωπάω πωτάομαι ab Aug. Nauckio (Mél. Gr. Rom. IV 586 ff.) Homero non sine probabilitatis specie abiudicatas esse dicit, facili enim opera omnes hos locos huic sententiae aptari, repugnare solos N 557, Hes. opp. 528. hymn. Hom. Cer. 48 qui incipiant e

στρωφᾶτ', —αι, —ο, quamquam quod in Hesiodi codice *M* στροφᾶται legatur, huic rei nihil tribuendum esse concedo. Quod si verba τροπάω στροφάω all. cum Nauckio agnoscimus, non est quod δρομάω cuius formam δρομάασκε supra commemoravimus reiciamus. Conformatum est genuinum δεδρόμᾱκα ita, ut Aeolum et Dorum more stirpis exitus —α conservaretur et illud ᾱ quod Wilamowitzium offendit sonus ille est principalis in dialectis Ionica et Attica in η mutatus, in ceteris dialectis conservatus. Forma δεδρόμηκα qua Babrius utitur (Veitch greek verbs irregular and defective [2] s. v. δρομάω p. 179) eadem ratione e stirpe δρομα prodiit qua τετόλμηκα e stirpe τολμα. Praeterea respiciendum est nusquam vestigium verbi δρομέω inveniri. Denique non obstat Plutarchi de prof. in virt. X p. 81 D scriptura ὑποδέδρομε καὶ, e qua Canterus ὑποδεδρόμηκε restituit, iam enim praecedens κατὰ Plutarchi verba volgarem speciem prae se ferre docet. Quae si recte disputavimus forma ὑπαδεδρόμᾱκεν minime est sollicitanda.

Iam ad v. 7 transeamus. In libris est ὡς γὰρ σ' ἴδω (Vat. 2. 3 εἴδω, El. ἰδῶ) βρόχεώς με (βροχέως με Laur. Ambr.) φωνὰς (Laur. Ambr. φώνας) οὐδὲν ἔτ' εἴκει (sic El.; ἥκει Laur.). Bene fecit O. Hoffmann quod Bergkii scriptura εὔιδον omissa ad coni. aor. εἰςίδω rediit iam a Seidlero ex codicibus restitutum. Nam ὡς εὔιδον . . σε, i. e. cum te viderem, universae carminis indoli minime satisfacit. Immo praesentia actionis iteratae quae sequuntur εἴκει ϝέϝαγε ὑπαδεδρόμακεν e. q. s. flagitant, ut notio iterativa praecedat, quae in verbis ὡς . . . ἴδω inest. Ceterum quod Hoffmann scripsit ὡς γὰρ εἰςίδω, βρόχεος με φώνας οὐδεν ἔτ' εἴκει non probo. Neque enim ei assentior Fickium βρόχεος i. e. ex faucibus feliciter ut ait hunc locum emendavisse, maxime quod et obiectum σε verbi εἰςίδω et praepositionem ἐκ desidero; aptius iam Hartung ἐκ βροχίοιο coniecerat. Contra illud με supervacaneum mihi videtur esse. Tum scripturae εἰςίδω praeferendam existimo formam εὐίδω i. e. ἐςϝίδω ἐϝϝίδω. Verbum εἰςιδεῖν sane hic aptissimum est atque hoc loco a poetria idem scriptum fuisse, possis e Catulli vocabulo „adspexi“ colligere. Praeterea alium poetam Romanum εἰςιδεῖν in suam linguam verbo adspiciendi transtulisse videmus, cum Soph. El. 1312 Jahn:

κἀπεί σ' ἐ ς ε ῖ δ ο ν, οὔ ποτ' ἐκλήξω χαρᾷ δακρυρροοῦσα

comparamus cum Prop. III 14, 5

nec sic Electra (sc. gavisa est) salvum cum a d s p e x i t Oresten.

Si autem quaerat quispiam qui tandem, si εἰςίδω scriptum fuerit, fieri potuerit, ut hoc vocabulum et poetis et librariis usitatissimum parum intellegeretur ideoque corrumperetur, quid dicam nescio. Contra hoc loco scriptum fuisse vocabulum quoddam Aeolicum a librariis noniam intellectum suspicor. Indicativi eiusdem aoristi formam scriptam legimus apud Balbillam Cau. [2] 441, v. 14: γρόππατα σαμαίνο(ν)τά τ' ὄσ' ε(ὔ)ιδε κἄσσ' ἐςάκουσε, ubi εὔιδε certo est suppletum. Quamquam enim illud εὔιδε etiam indicativus εἶδε Aeolum ratione conformatus esse p o t e s t — nam ictu auxiliante pro ἔϝιδε Aeolibus forma εὔιδε uti licebat —, tamen hoc loco Balbillae illud εὔιδε propter insequens ἐςάκουσε pro ἔςϝιδε accipiet quicumque Homeri illud in mentem revocaverit:

Ἠέλιος
ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

At Balbilla quae verbum item conformatum atque ἐςάκουσε ponere voluerit, ut unquam illud εὔιδε excogitaverit haud immemor id pro ἔςϝιδε esse? Minime! Balbilla quidem noniam sciebat ex Aeolico ἔςϝιδε exsistere posse εὔιδε, immo nisi poesin Aeolicam imitari eam obliviscimur, verisimile est totum locum sane poeticam speciem prae se ferentem ὄσσ' εὔιδε κὤσσ' ἐςάκουσε e poetae cuiusdam Aeolici illis temporibus lectitati i. e. ex Alcaei vel Sapphus carmine quodam nobis quidem

ignoto esse depromptum. De hexametris Sapphus poesin Homericam sectantibus cf. Wilamowitz, Die Textgesch. d. gr. Lyr. p. 72 (Sa. fr. 93. 94). Vere poeticam dico speciem: nam poetae unam notionem ita solent distrahere in duas e. g.

Catullus 76, 7

nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
aut facere.

Aesch. Prom. 660 Herm.:

ὡς μάθοι τί χρή
δρῶντ' ἢ λέγοντα δαίμοσιν πράσσειν φίλα.

Ne autem augmento in *εὔιδε* pro *ἔϝιδε* et *ἐσάκουσε* neglecto offendaris, velim conferas Sa. 31 *ἦσαν* cum Alc. 91 *ἔσσαν*. Denique quomodo ex *εὐίδω* codicis scriptura *σ' ἴδω* potuerit evadere, sic mihi videor posse explicare. Illud *εὐίδω* a librariis noniam perspectum, ut saepe factum, est „correctum". Cum autem notio adspiciendi huic loco aptissima esset, scripserunt pro *εὐίδω* *ECIΔΩ*. Eiusdem „correcturae" exemplum affert G. Schulzius qu. ep. p. 55 in adnot. 2 ex Arist. Lys. 156. Ibi optimi codices habent Ravennas *παρενίδων*, Venetus *παρενιδών*, alii praebent scripturam correctam *παρεσιδών*, vulg.: *παρενιδών*. Simili ratione *ECIΔΩ* neglegenter vel vitiose scriptum facile pro *CEIΔΩ* poterat intellegi: id quod Vatic. 2. 3 habet. Litteras priores *CE* non minus facile pro *σε* = te poterat aliquis accipere; cum autem alterum *CE* legeret post *βροχέως*, hoc in *ME* mutavit et obiectum *ME* ad verbum *ἥκει* rettulit. Tum illud *CE* ante — *IΔΩ* pro *σε* = te acceptum in *C'* est commutatum: id quod in cod. P. Ps. Longini est. Similiter iam Seidlerus iudicavit Mus. Rh. 1829 p. 161 ff. Quae cum ita sint versus 7. 8 ita scribendos puto:

ὡς γὰρ εὐίδω βροχέως σε, φώνας
οὐδὲν ἔτ' ἥκει.

Formam *ἥκει* retinui secundum cod. El. (Laur.). Eiusdem verbi fut. *ἥξω* traditum est Sa. 109, ubi codices Demetr. de eloc. CXL aperte volgarem lectionem praebent (cf. *λιποῦσα* pro *—οισα*). Hoc loco Ahrensius hiatus tollendi causa scripsit *σ' εἴξω* (Dor. 545), nostro *εἴκει*. Exempla verbi *ἥκω* in titulis Aeolicis obvia recentioris sunt aetatis omnia: *προσήκοισαν* in tit. Erythraeo ap. Cau.[2] 431, 25 fortasse saec. II med., *ἀνηκόντων* Cau.[2] 437, 22 in tit. Cumano a. 2—14 p. Chr. n., ubi cum alia tum praepositionis forma *ἀν(ά)* pro aeol. *ὄν* volgarem linguam praebet. Denique ap. Ioann. Gr. (Hoffmann II 218 § 25): *τηροῦσι δὲ (οἱ Αἰολεῖς) καὶ τὴν ψιλότητα ἐν ταῖς συναλοιφαῖς . . . καθήκει κατήκει, ἀφῆκεν ἀπῆκεν* . . . . His exemplis effici non posse Sapphonem quoque verbo *ἥκω* usam esse Hoffmanno concedo, nam Sa. 109 *ἥκω* sine dubio falsum est. Sed quod idem de *εἴκω* dicit secundum Ahrensium scripto (II 465), non minus est dubium. Ahrensius enim Doricum verbum *εἴκω* ad Aeolum dialectum transtulit (Dor. 344); sed quid id ad Lesbios? Quoad igitur certioribus in hac re adiumentis carebimus — vetustiores dico titulos Aeol. —, praestare mihi videtur verbo *ἥκω* nostro loco contentum esse, licet verum non sit.

V. 9 in omnibus codicibus est *ἔαγε*. E Plutarchi loco quem supra commemoravimus iam Manutius Stephanus all. scripturam revocaverunt

ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν.

Quam Wilamowitz Herm. XIV 169 acerrime hisce verbis defendit: „Peccant contra certissimam metrices Aeolicae regulam (quam unus videtur notam habuisse Lachmannus) quicunque libelli *π. ὕψους* scripturam secuntur

ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λέπτον δ'
αὔτικα κτἑ."

Lachmannus autem kl. Schr. z. class. Phil. II p. 93 haec dicit: „*dass nun in einer solchen äolischen Strophe die sämtlichen κῶλα getrennt sein konnten, leidet keinen Zweifel, hingegen wissen wir keineswegs, ob sie auch jedesmal alle vereinbar waren. Gewiss sind auch darin die Dichter nicht gleichen Regeln gefolgt. So finde ich in der sapphischen Strophe die beiden ersten Zeilen nie verbunden, wohl aber bei Sappho 2, 9 λεπτὸν δ' αὔτικα e. q. s.*" Lachmannum igitur *λεπτόν δ'*|| *αὔτικα* legisse apparet, ergo idem legit *ἔαγε* i. e. *ϝέϝαγε*. Digamma enim ita in carminibus Lesbiacis valebat, ut hiatum tolleret; cuius rei sunt exempla:

Alc. 15, 7 *ὔπᾰ ϝέργῶν*

Adesp. 53 e Plut. de garrul. 5 depromptum:

καὶ κῆνον γὰρ ἔγω φᾶμὶ ϝιοπλόκων
Μοίσαν εὖ λελάχην.

Incertum est Alc. 39, 1 *τέγγε πλεύμω̆νᾰ ϝοίνωι* (nam etiam *πλεύμονας οἴνωι* legi potest). v. 13 *ἀ δέ μ' ἴδρως κακχέεται.*

Hunc locum laudat grammaticus ap. Cram. An. Ox. I, 208, 13. E verbis ibi traditis Bergkius alios secutus scripsit: *ἀ δὲ μίδρως κ.*, cum alteram scripturam „plane vitiosam" existimaret. Sed quid Bergkium offenderit me nescire fateor. *Μ'* pro *μοί* invenimus apud Homerum e. g. *δ* 367 *μ' οἴῳ* pro *μοι οἴῳ*, *λ* 19 *δῶκε δέ μ' ἐκδείρας ἀσκόν* . . ., ubi Bekkerus aliique contra codices *δῶκέ μοι ἐκδείρας* scripserunt, sed. v. Hentze, Anh. z. Od. z. d. St. Etiam apud poetas tragicos *μ'* pro *μοί* legimus e. g. Eur. Med. 57 N *ἵμερος μ' ὑπῆλθε* . . . *μολούσῃ* (cf. etiam Soph. Ai. 587 *οἴμ', ὡς ἀθυμῶ*). Quin etiam *μ'* pro *μέ* nostro loco accipere licet comparato loco Soph. Phil. 823

ἱδρώς γέ τοί νιν καταστάζει δέμας.

Sed haud scio an Bergkius aegre tulerit quod pronomen se inter articulum et nomen insinuaverit. Atqui poetas in vocabulis collocandis maiore uti licentia quis miretur! Verum quod Bergkius, quia ut ait litteram *μ̄* immutare non ausus est, ad *μίδρως* confugit male fecit. Exempla quibus opinio eius nititur nihil demonstrant, nam vocabula *Βίτως* et *Μίτως*, *Βελιστίχη* et *Μελιστίχη* non ea sunt quibus litteram *μ̄* digammi vicariam fuisse demonstrari possit. Reliquum est illud *μάλευρον*, quod digamma habuisse argumentis certis comprobari non potest. (cf. Hugo Weber ap. G. Curtium Et.[5] 591). Quin etiam quotquot exempla huius sonorum commutationis G. Curtius congessit, rei argumento non sunt, quia agitur aut de vocabulis singularibus vel plane obscuris aut ea vocabula quae a littera *μ* incipiunt aliquando digamma habuisse demonstrari non potest; saepe enim aliud potest excogitari veriloquium. cf. G. Meyer[3] § 241 Anm.

Quoniam *μ'* quod est in codicibus omnino conservandum esse censeo, omittenda est scriptura *ϝίδρως* a Schneidewino G. Hermanno probante revocata. In initio vocabulorum *ἱδρώς ἱδρόω* olim digamma fuisse ex comparatione ai. svidyati lat. sudor apparet, quamquam in Homerica elocutione nullum digammi vestigium ostendunt — unus locus *Δ* 27 *ἱδρῶ* (scr. *ἱδρόα*) *θ' ὃν ἵδρωσα μόγῳ, καμέτην δέ μοι ἵπποι* propter arsis vim nihil demonstrat cf. *λ* 281. 576; duodecim locos congessit Knoes de digammo Homerico p. 222 (Upsala Universitets Årsskrift 1873) qui digammo repugnant —; sed quod apud Homerum vocabulum *ἱδρώς* digammo caruit non est argumentum quo ne apud Aeoles quidem caruisse demonstretur. Ratio autem huius loci de quo agimus plane alia est. Hoffmanni verba II 457: „*Keines der Beispiele* (etiam nostrum respicit) *ist also sicher genug, um den Verlust*

eines anlautenden Vau zu beweisen" sine ulla dubitatione ita commutaverim ut dicam: *Keines der Beispiele* (Sa. 104 *μάλιστ᾽ εἰκάσδω* excipio) *ist sicher genug, um das Vorhandensein eines anlautenden Vau zu beweisen.*

Iam venimus ad carminis nostri exitum. Difficilis sane locus ac paene desperatus! Quem quasi canes pede posteriore sublato praeterierunt non pauci.

Initium disputationis faciendum est ita ut diiudicetur quidnam e verbis *ἄλλα πὰν τόλματον ἐπεὶ . . .* e. q. s. *θαυμάζεις* poetriae, quid Ps. Longino sit tribuendum. Verba *ἄλλα πὰν τόλματον* cum structura *οὐ θαυμάζεις* non conspirare satis elucet. Itaque quaerendum est sintne Sapphus verba. Possunt esse si aut metro satisfaciunt aut omnino talia sunt quibus uti licebat poetriae in dictione poetica. Cum metrum insit *ᾱλλᾰ πᾱν τŏλμᾱτŏν* possunt initium esse hendecasyllabi Sapphici. Praeterea formae si dialectum Aeolicam respicimus plane sine vitio sunt. Etiam sententia verborum poetriae conveniens esse censenda est. *Πᾶν (πάντα) τολμᾶν* poetis usitatissima est structura cf. Soph. O. C. 761 *ὦ πάντα τολμῶν*; Ar. Nub. 375 *ὦ πάντα σὺ τολμῶν.* Adeo in sermone familiari homo impudens et ad audendum promptus dicitur *πᾶν* seu *πάντα τολμῶν.* In verbo *τολμᾶν* autem saepe altera inest sustinendi significatio ut Theogn. 1029 *τόλμα, θυμέ, κακοῖσιν ὅμως ἄτλητα πεπονθώς.* Cum autem significatio audendi loco de quo agimus apta non sit — aliter iudicavit G. Hermannus El. doctr. metr. 679 — (quidnam sit poetriae audendum plane me non intellegere fateor), altera sustinendi sola hic accipienda est. Poetria igitur dicit: „Sed quidvis est sustentandum!" Quidnam? Nempe misera poetriae condicio, vehementissimae animi perturbationes corporisque affectus quasi onus sunt sustentanda, quia ea quae hos affectus efficit puella amata est quam perit poetria.

Optime opinioni meae favet Ps. Longini illud *φρονεῖ.* Legimus scriptum: *καθ᾽ ὑπεναντιώσεις ἅμα ψύχεται κάεται, ἀλογιστεῖ φρονεῖ.* Sed ubinam carminis poetria *φρονεῖν* videtur? *Φρονεῖ*, dum verba *ἄλλα πὰν τόλματον* eloquitur. Ad nullum aliud carminis vocabulum potest referri illud *φρονεῖ* nisi ad haec. Quamquam fuerunt — velut G. Hermannus — qui illud *φρονεῖ* e Ps. Longini verbis eicere studerent, tamen ni fallor iam numerus pluralis *ὑπεναντιώσεις* flagitat ut notionem furendi (*ἀλογιστεῖν*) contraria (*φρονεῖν*) sequatur.

Sed quae sequuntur verba *ἢ γὰρ φοβεῖται ἢ παρ᾽ ὀλίγον τέθνηκεν* a vocabulo *φρονεῖ* discrepant, maxime ob particulam causalem *γάρ.* Quae verba nisi quis cum Weiskio omnino delenda esse existimabit, at corrupta esse non negabit. Sententiarum nexui optime satisfieret, si scriberemus *φρονεῖ, εἰ καὶ φοβεῖται ἢ παρ᾽ ὀλίγου τέθνηκεν.* Utut res se habet: illud *φρονεῖ* minime est sollicitandum.

Atqui e Ps. Longini verbis apparet inter *τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω ᾽πιδεύην φαίνομαι* et *ἄλλα πὰν τόλματον* non aliquot verba fuisse, quibus poetria novum quidquam indicaret. Atque cum supra viderimus verba *ἄλλα πὰν τόλματον* initium hendecasyllabi Sapphici esse posse, verisimillimum est haec verba initium strophae quintae fuisse, quod solum laudare Ps. Longinus satis habuerit. Quod si statuimus, efficitur ut inter verba *φαίνομαι* et *ἄλλα* unum verbum a poetria interpositum fuerit, quod Ps. Longinus aut consulto vel quia pro suis rebus nullius seu minoris momenti iudicaret omiserit aut scriptum a Ps. Longino librariorum culpa exciderit. Primum si verba *τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω ᾽πιδεύην φαίνομαι* —, *ἄλλα πὰν τόλματον* contuemur, nihil desideramus; structura grammatica sine ullo vitio est neque si sententias respicimus quidquam deesse apparet. Ergo fuit verbum inter *φαίνομαι* et *ἄλλα*, quod Ps. Longinus omittere potuit neque structura corrupta neque sententia laesa. Deinde si hoc vocabulum errore librariorum amissum esse putamus, fuerit necesse est tale quod propter vicinorum vocabulorum formam facile posset corrumpi. Iam illud vocabulum quale fuerit certius

definiri potest. Nam praeterquam quod tale fuit quod si abesset neque structuram neque sententiam laederet, fuerit necesse est vocabulum a vocali littera incipiens, quod ni fuisset *φαίνομαι* hic poni non potuit.

E numero virorum doctorum qui huic loco mederi voluerunt aliis alia placuerunt. Plurima omitto. Quod Hoffmannus uncis inclusum posuit *φαίνομαι* [*ἄλλα*] olim a Bergkio excogitatum sine dubio adiectivum Aeolicum est (= demens); sed poetriam dicere non potuisse *φαίνομαι ἄλλα· ἄλλα πὰν τόλματον* nemo non concedet. Contra G. Hermanni opinio qua *Ἄτϑι* poetriam scripsisse coniecit sane digna mihi videtur quam diligentius examinemus.

Poetriam saepius puellas quas amabat in carminibus nominare constat. Itaque si hoc gravissimo loco nomen posuit eius, ob quam animus ita perturbatur corpusque commovetur, profecto aptius ponere vocabulum potuit nullum. Circumspicientibus igitur nobis quae fuerint poetriae amasiae quas quidem cognitas habeamus, una est cuius nomen nostro loco conveniat: Atthis. Ceterarum nomina — *Γύριννα, Ἀνακτορία, Γοργώ, Ἀνδρομέδα* secundum Max. Tyr. diss. VIII Ed. Davis. p. 95. *Δίκα* Sa. fr. 78 e coniectura Welckeri — propter formam rei nostrae inopportuna sunt. Atthin poetriae amasiam et amicam fuisse docent Sa. fr. 33 et 41. Quae in his fragmentis de hac virgine comperimus, non vetant nomen nostro carmini inseri, quamquam fr. 34 quod ipsum quoque ad Atthin referendum esse Terentianus Maurus testis est (cf. Bergk ad h. frg.) cum carminis nostri natura haud scio an non possit coniungi. Contra non videtur neglegendum quod eadem de Atthide Ovidius dicit Heroid. XV 15 ff. de Vries:

Nec me Pyrrhiades Methymniadesque puellae
nec me Lesbiadum cetera turba iuvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno,
non oculis grata est Atthis ut ante meis.

Quid? nonne in memoriam verborum *ὡς γὰρ εὐίδω* e. q. s. revocamur?

Vocabuli *Ἄτϑι* igitur et forma et vis optime in nostrum locum quadrat: ante *Ἄτϑι* corripi potest ultima verbi *φαίνομαι* syllaba, *Ἄτϑι* ut vocativus extra structuram positum est, *Ἄτϑι* Ps. Longinus si non voluit at certe potuit omittere, *Ἄτϑι* denique propter insequens *ἄλλα* ita corrumpi poterat, ut fortasse perperam scriptum pro altero *ἄλλα* acciperetur ideoque a librariis omitteretur.

De verbis insequentibus *ἐπεὶ καὶ πένητα* idem iam G. Hermannus recte iudicavit cum diceret: (opp. I 336): „Quis credat a poetria sic scripta esse (verba illa), cum facilius alia omnia in isto carmine quam quidquam de paupertate dici potuerit aut Longinum his verbis quae minime ad id de quo agitur pertinent finiturum hos versus fuisse et quidem abrupta media oratione?“ Ergo *πένητα* omnino videtur corruptum, et illico sequitur, ut ne *ἐπεὶ* quidem, quoniam solum stare non potest, corruptum non esse possit. In his igitur verbis *ἐπεὶ* [*καὶ*] *πένητα* latere videntur Ps. Longini alia verba. Quae ut eliciamus, accuratius observemus Ps. Longini rationem, qua post scriptorum vel poetarum locos exscriptos suam continuet orationem.

Consideremus hos locos:

p. 14, 12: Laudavit Homeri locum; tum pergit: *ἐπιβλέπεις, ἑταῖρε, ὡς . . . πάνϑ᾽ ἅμα . . . συμπολεμεῖ καὶ συγκινδυνεύει μάχῃ*; et paullo infra: *Ὅμηρος γάρ μοι δοκεῖ . . .*

p. 29, 11: laudat Eur. Phaethontem; deinde: *ἆρ᾽ οὐκ ἂν εἴποις ὅτι ἡ ψυχὴ τοῦ γράφοντος συνεπιβαίνει τοῦ ἅρματος . . .*;

p. 41, 2: loco Herodoteo exscripto: *ὁρᾷς, ὦ ἑταῖρε* (cf. 14, 12), *ὡς παραλαβών σου τὴν ψυχὴν διὰ τῶν τόπων ἄγει;*

Quid igitur his locis observamus?

Ps. Longinus locis laudatis amicum alloquitur ita, ut interroget eademne quae ipse e locis concludat. Talis interrogatio ne a nostro quidem loco discreparet; quare a Ps. Longini ratione non abhorret, si structuram *οὐ θαυμάζεις* pro interrogatione accipimus. Omnino autem mihi videtur cum Robortellio *θαυμάζεις* scribendum esse, ex quo sane facile *θαυμάζοις* quod in codicibus est nasci poterat. cf. p. 36, 24 in P: *θέλοις* pro *θέλεις*. Habemus igitur hanc interrogationem: *οὐ θαυμάζεις ὡς . . . πάνθ' ὡς ἀλλότρια διοιχόμενα ἐπιζητεῖ καὶ . . . τέθνηκεν*; Deinde sententiam *ἵνα . . . σύνοδος* solutam ac per se positam licet statuere, sicuti Graeci particula *ὥστε* sententias libere ac solute positas conformare solent.

Alterum quoque apud Ps. Longinum observare possumus hisce locis:

p. 25, 10 Platonis locum laudat eiusque nomen scribit. Post locum exscriptum pergit: lin. 22 *ἐπιδείκνυται δ' ἡμῖν οὗτος ἀνὴρ . . . ὡς . . . ἄλλη τις . . ὁδὸς . . τείνει.*

p. 28, 9 Euripidis fabulam (Orestem) dicit, poetam non nominat; deinde eiusdem poetae Iphig. Taur. dicit; tum lin. 14: *ἐνταῦθ' ὁ ποιητὴς αὐτὸς εἶδεν Ἐρινύας.*

p. 31, 4 Hyperidis locum exscribit oratore nominato; deinde: *ἅμα γὰρ τῷ πραγματικῶς ἐπιχειρεῖν ὁ ῥήτωρ πεφάντασται.*

p. 34, 11 postquam Demosthenis locum p. 31, 22 dedit, nominato oratore pergit p. 34, 11: *τίνι γὰρ ἐνταῦθ' ὁ ῥήτωρ ἀπέκρυψε τὸ σχῆμα;*

p. 35, 27: respicit Odysseam („*τὰ τοῦ Εὐρυλόχου*“); postea p. 36, 3: *τοιαῦθ' ὁ ποιητὴς ἐξήνεγκε.*

p. 36, 13: Demosthenis locum respicit (*τὰ εἰς τὸν Μειδίαν* p. 36, 7); deinde lin. 15: *οὐδὲν ἄλλο διὰ τούτων ὁ ῥήτωρ ἢ ὅπερ ὁ τύπτων ἐργάζεται.*

p. 41, 13 Homerum non nominatum respicit; deinde lin. 17: *οὐκοῦν τὴν διήγησιν . . . ὁ ποιητὴς προσῆψεν ἑαυτῷ.*

Quid igitur? Solet Ps. Longinus, quamquam quem dicat unusquisque neque minime Terentianus intellegere putandus est, post locum exscriptum adicere vocabula *ὁ ποιητής*, *ὁ ῥήτωρ*, *οὗτος ἀνήρ*. Num igitur contra Ps. Longini rationem agere videmur, si simile quoddam nostro quoque loco scriptorem posuisse opinamur? Sicuti antea pergit: *ὁ ῥήτωρ*, *ὁ ποιητής*, *οὗτος ἀνήρ*, ita hic pergere eum puto: *οὐ θαυμάζεις τὴν ποιήτριαν ὡς . . . ἐπιζητεῖ;* At unde *τὴν ποιήτριαν?* „*Πένητα*“ nihil nisi corruptum *ποιήτριαν* esse mihi persuasi. Nam si scripturam respicis haud ita multum a *πένητα* abesse concedes. Vocabulum *ποιήτριαν* insuper ita est scriptum, ut prior pars versum claudat, posterior sequentis versus initium sit. Eiusdem scripturae exempla hic illic occurrunt in Cod. P, ut p. 30, 19 *Τάρ|τον* pro *Τάρ|ταρον;* p. 41, 10 *διηγουμένου|μένον*. Hoc omnino in rei natura positum esse quis neget?

Vocabulum *ποιήτρια* quamquam nullo alio loco Ps. Longinus usurpat, tamen est minime inusitatum Graecis; terunt Plutarchus Lucianus Diog. Laert. all.

Verum Galeni locum cave neglegas vol. V p. 445 extr.: *Εἰωθότων τῶν ἀνθρώπων ἐνίοτε τὰ πρωτεύοντα τῶν ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους προαγορεύειν ὀνόματι καθάπερ ὅταν εἴπωσιν ὑπὸ μὲν τοῦ ποιητοῦ λελέχθαι τόδε τὸ ἔπος, ὑπὸ δὲ τῆς ποιητρίας τόδε · πάντες γὰρ ἀκούομεν Ὅμηρον μὲν λέγεσθαι ποιητὴν, Σαπφὼ δὲ ποιήτριαν.* Quare ut Ps. Longinus hic illic post locum laudatum scripsit *ὁ ῥήτωρ*, *ὁ ποιητής*, ita sane hic aptissimum posuit nomen eius quae Graecis fuit *ἡ ποιήτρια*. Si igitur scribimus (*τὴν*) *ποιήτριαν οὐ θαυμάζεις ὡς . . . ἐπιζητεῖ;* structura utimur vere Graeca,

nam Graeci sescenties tali prolepsi utuntur atque idem Ps. Longinus p. 55, 18: *εἴτις περιβλέψαιτο ἐν κύκλῳ τὸν βίον ὅσῳ πλέον ἔχει τὸ περιττόν.*

Quid autem est illud *ἐπεὶ* (*καὶ*)? Nihil aut secundum scripturam aut sententiam magis est conveniens quam particula *ἔπειτα*. Qua persaepe utitur qui ex iis quae antea dicta sunt concludere aliquid vult. Tali modo usurpatam videmus particulam non solum ab Homero velut *E* 812

οὐ σύ γ᾽ ἔπειτα Τυδέος ἔκγονός ἐσσι („demnach“),

sed etiam ab Atticis et poetis et scriptoribus. Praecipue autem haec particula in initio sententiae interrogativae ponitur; interdum in ea significatio indignationis inest, cum ratio sententiarum inter se cohaerentium efficit. Ut exemplum afferam: Xen. *Ἀπομν.* I 4, 11 *Εὖ ἴσθι, ἔφη, ὅτι, εἰ νομίζοιμι θεοὺς ἀνθρώπων τι φροντίζειν, οὐκ ἂν ἀμελοίην αὐτῶν. — Ἔπειτ᾽ οὐκ οἴει φροντίζειν;* Eadem ratione particula *εἶτα* dici notum est. Hac concludendi particula *ἔπειτα* nostro loco aptissimam esse iam manifestum est. Corrumpi autem facile poterat vera scriptura *ἔπειτα τὴν* in hunc modum: articulus *τὴν* haud scio an per compendium scriptus fuerit *T͠*; si igitur scriptum erat *ΕΠΕΙΤΑΤ͠*, apparet id facile potuisse perperam intellegi pro *ΕΠΕΙΚΑΙ*. Quae cum ita sint totum locum sic scribo:

τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω ᾽πιδεύην φαίνομαι, [*Ἄτθι?*]. —
Ἔπειτα τὴν ποιήτριαν οὐ θαυμάζεις ὡς . . . ἐπιζητεῖ . . .;